# DE ILEO.

## DISSERTATIO
## *INAUGURALIS MEDICA,*

QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE GRATIOSI
MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITTERARIA BEROLINENSI
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XXI. M. IUNII A. MDCCCXXIV
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET

AUTOR
IOANNES CHRIST. FRIED. RAUCH
SPANDAVIENSIS.

OPPONENTIBUS:
C. RABE, MED. DR.
J. HÄRTEL, MED. DR.
C. SCHREIBER, MED. DRD.

BEROLINI MDCCCXXIV.
FORMIS BRÜSCHCKIANIS.

AVUNCULO

CARISSIMO ATQUE DILECTISSIMO

# J. LAMPRECHT

HASCE

LITTERARUM PRIMITIAS

GRATO ANIMO

DEDICAT

AUCTOR.

Tubus intestinalis, officina princeps, in qua alimenta primam eamque mirificam experiuntur mutationem, ut in chymum massamque excrementitiam per intestinum rectum eliminandam, convertantur, turbata functione, tantam diversorum morborum congeriem excitat, ut noster ad diiudicanda eius vitia intellectus vix sufficiat, quo obscuras saepe et nimis absconditas actionis vitalis, a statu naturali deflexae, causas eruere valeamus. Priusquam ad morbi ipsius expositionem gradum faciam, quaedam ad historiam pertinentia succinte enarrare liceat.

Quodsi ad veterum scripta animum advertimus, non arduum erit disquirentibus, vestigia huiusce morbi in monumentis graecorum medicorum deprehendere, quorum tamen delineationes nimis circumscriptae sunt, quam ut vera Ilei natura eiusque causae inde intelligi, certaque fide dignosci queant.

Primum omnium, qui Ilei indolem satis perspicue enucleavit, quique certum, uti par esset, inter morbos locum eidem tribuit, Hippocratem Coum 1) fuisse legimus. Eum secuti sunt plures non mediocris famae viri, qui hunc morbum aliquanto curatius disquisiverunt, eique symptomata nonnulla, praeprimis mali sedem indicantia, adiecerunt. Celsus 2) vero omnia, quae de hoc morbo exstiterunt, scripta congessisse nihilque novi notatu digni, addidisse videtur.. Galenus 3), vestigia legens Hippocratis, fusius in Ilei naturam causasque indagandas incubuit. Plures deinde nuperiorum Cael. Aureliani 4) Areataei 5), Petr. Petiti 6) Dureti 7) Sennerti 8) aliorumque opera attentione digna praedicaverunt.

## Nominum varietates.

Ilei denominatio originem ducit a verbo graeco Ειλεσαι quod latina voce circum-

---

1) Halleri Hippocratis op. om. T. 3. libr. 3. Cap. III, p. 104.

2) Celsus de medicina. Libr. IV. l. VIII. p. 221.

3) Galen. Tom. 3. lib. 5. de sympt. caus.

4) acut. morb. III, 17.

5) de morb. acut. libr. III.

6) in comment. in lib. 3. Aret. cap. II. p. 61.

7) in comment. in coac. praenot.

8) libr. 3. part. 2 sect. 2.

duci significat; quoniam veteres implicationem sive convolutionem intestinorum, ut Ileus nasceretur, ut plurimum culpandam esse, existimabant. Chordapsi nomine graecus quidam medicus, Ειλεον tamen ab eodem discernens, usus est, hanc forsan opinionem amplexus, quod chordae tensae in regione umbilicali sensationem saepe apud aegrotos observaverat. Iisdemque rationibus latinos, qui denominationes Volvuli, Convolvuli et circumvolvuli invenerunt, obsecutos esse, non improbabile videtur. Miserere mei propter aspectum aegrorum miseratione dignum barbari dixerunt. Passio demum iliaca, dolor iliacus, vomitus stercoris et coproëmesis passim leguntur.

## Ilei definitio.

Ilei definitionem ideo praemitti oportet, ut quisque, errorum vitandorum causa, statim discernere possit, quibus signis vera Ilei indoles sese manifestet.

Cum dolores colici, quacunque ex causa orti, atroces pertinacesque cum alvi plerumque obstructione et vomitu vehemente ventriculi intestinorumque contentorum animadvertuntur, Ilei nomine hunc statum insignire solemus.

Quamvis Ileum definiendi perfacile videatur negotium, cum ex symptomatibus maxime con-

spicuis repeti posse definitionem, quidam forsan existiment; autorum tamen celeberrimorum testimoniis edocti, persuasum nobis habemus, unum alterumve symptomatum, quorum definitio modo oblata mentionem fecit, ob minorem fortasse morbi atrocitatem causarumque multifariam diversitatem, non, ut opus esset, luculenter sub oculos cadere, imo penitus deficere. His igitur praemissis, cum praeterea Ileus unius alteriusve morbi symptoma sit, sat clare apparet, promulgatam definitionem non omni carere vituperio.

## Ilei symptomatologia.

Non semper Ileum subito irruere, sed interdum prodromos quosdam antecedere, observatum est; dolores scilicet distendentes et magis minusve prementes, circa eam abdominis regionem, qua malum vel sedem habiturum est, vel iam habet, ab aegro sentiuntur; intestinorum murmura, borborygmi, nec non ructus, nausea, frequens flatuum emissio et alvi adstrictio, haud raro antesignani sunt. Subinde peculiarem in ventre infimo sensum conqueruntur aegri, tanquam intestina huc illuc volutentur; interdum singularis intestinorum tensionis sensationem accusant, tanquam circa umbilicum chorda, sive funis, regioni epigastricae circumductus, valide constringatur.

His symptomatibus aliquamdiu protractis, dolores, antea saepe vagi, ingravescunt, pungentes, urentes, serius rodentes, perforantes evadunt et ab uno loco haecce ventris tormina per totam fere abdominis plagam extendi videntur. Ructus et nausea commutantur in vomituritionem et vomitum ipsum, per intervalla horae quadrantis, dimidiae, integrae aut serius accedentem et decedentem, prout causarum indoles discrepat, vel potulentorum medicaminumque nuper ingestorum et contentorum, in ventriculo adhucdum intestinisque reservatorum, copia, nec non multa alia differunt. Primo ventriculi contenta, cibi nempe ante assumti, cum succo gastrico, dein bilis aeruginosa muco intestinali et succo pascreatico, commixta, tandem partes faeculentae sive stercoraceae foras eiiciuntur. Sunt tamen, qui obiiciant, faecibus superiora versus transitum denegari, tenuioribus intestinis alicubi clausis. Haenius 1) contra perhibet, in ileo etiam intestino faeces saepe inveniri generarique, cui asserto Morgagnius 2) fidem non denegat, affirmans, in tenuioribus faecum globulos se observasse. Alii propterea, quod valvulam Bauhini obstaculum fore faecum regressui autumant, vomitum stercoraceum

1) Rat. med. Tom. II. p. 76.
2) Epist. anat. med. XXXIX no. 29.

reiicere conantur. Cum autem certo constet, valvulam Bauhini vinci, quando artis auxilio saepius et vi quadam ano immittantur clysteres et suppositoria, quorum haec quandoque cum cupiditate ab intestino recto ingurgitari relatum est; cumque porro Hallerus 1) repererit, valvulam Bauhini interdum rumpi dilacerarique, necessario ratiocinandum est, fore, ut non solum valvula Bauhini, sed etiam obex, si quis adest, possit superari, partim adaucto motu antiperistaltico ab ano incipiente, partim vi, qua dictae materiae applicabantur. Sic a Sennerto 2) relatum accepimus, non semel, sed pluries contigisse Mathaeo de Gradibus Guainerio et Opteo, ut clysteres et suppositoria fere immutata per os evomerentur. Et Galenus 3) Paraeus, Diemerbroekius et R. de Graafius 4) eadem emesi reddita viderunt.

In quibusdam casibus, sub tenesmis plerumque irritis, alvum onerandi, materia foetens, nigra, concisa et veluti combusta imo cruenta 5), praecipue si inflammatio adest, per anum sponte

---

1) Prim. lin. physiol. n. 738.

2) lib. 3 part. 2. sect. 2. cap. 1. de mot. intestin. inverso.

3) loc. cit.

4) Tract. de clyst.

5) Frank epit. de cur. hom. morb. p. II. pag. 253.

excernitur. Abdomen tactu sollicite explorantes, dolorem aegro alicubi fortiorem excitabimus, quo cognito, coniiciamus, malum hic radices egisse. Interdum regio quaedam abdominis, nondum valde tumidi, notabilem nobis offert tumorem, cuius forma et extensio varia est; vel nudis iam oculis cernitur, vel tactu nonnisi percipitur; in utroque casu tumor modo elasticus, modo resistens, modo durus apparet; saepissime ne minimum quidem tumoris vestigium detegimus. Inter morbi primordia abdomen calescit, agitantur praecordia, spiritum ducunt anxii, inquietissimi redduntur, huc illuc sese iactant, interdum e lecto assurgere tentant, antrorsum prae doloribus corpus inclinant, somnum non capiunt. Abdomen vel per totum morbi decursum planum manet, vel, meteorismo accedente, stupendum in modum illico intumescit, vel paucis ante mortem diebus inflatur.

Febris inter initia non praesto esse dicitur; adventante vero intestinorum inflammatione, omnia symptomata excandescunt et graviora fiunt. Frequentisime mali exordium comitatur inflammatio; subinde, decursante morbo, supervenit; pulsus tunc celer, parvus, duriusculus, intermittens et inaequalis esse solet; horror cum calore alternat; respiratio fit anxia, laboriosa, interrupta; ne minimum abdominis tactum ferunt; siti ingente

vexantur; urina pallida, turbida, interdum foetens et putida reperta est; extremae frigescere incipiunt; corpus reliquum, imprimis caput, sudore frigido madet; facies collabitur et eam, quam Hippocraticam appellant. aemulatur. Non raro affectiones systematis uropoëtici obveniunt; urinae suppressio, ischuria, stranguria, nec non incontinentia urinae; urina tunc, aegris insciis, in lectulum destillat. Cum morbi vehementia nec naturae conamine nec artis praesidio debellari potest, systema nervosum, ob mutuum cerebrum inter et abdominis organa consensum, graviter disturbatur; consociantur cum ante dictis symptomatibus: artuum tremor, summa virium vitalium labes et inanitio, singultus, convulsiones, deliria, lipothymiae, sub quibus, exantlatis omnibus aerumnis, fato tandem aegri cedunt, licet in nonnullis mentis facultates ad ultimum usque vitae terminum illibatae sint. Tempus, quo Ileus cursum absolvit, in universum praenosci nequit; fieri enim potest, ut aegri primis diebus Ileo reddantur liberi incolumesque serventur; fieri alias potest, ut paucis diebus in orci fauces delabantur; maximam partem intra octo, aut quatuordecim dies seriusve mors et sanitas subsecutae sunt.

Ad exitum Ilei quod spectat, triplicem habendum esse credimus; omnia enim symptomata prorsus abolentur et sanitas pristina recuperatur,

vel alios morbos secundarios locum obtinere videmus, vel mors vitae stamina resecat.

Si secundam valetudinem, quam quidem minus saepe ex toto contingere videmus, aegri nanciscuntur, necessarium est, ut omnia symptomata evanescant, quia ulla sentiatur molestia.

In longe plerisque casibus quoddam residet vitium in parte intestini, antea affecta, cuius indolem probe rimari oportet; cessabunt signa Ilei essentialia, sive pathognomonica, cum nova vero symptomatum cohorte nobis conflictandum erit. Mitissima affectio, quam Ileus relinquit, morbosa est sensibilitas; neque mirum erit, quare dolores colici, cum stimuli, utut dudum consueti, in partem intestini ante correptam, agunt, subinde reviviscant; quod quisque facile enucleabit, qui singularis huius organi incitabilitatis et causarum stimulantium rationem habuerit. Porro etiam dilatationes praeternaturales intestinorum pedissequos habet Ileus, cum ex causis, quas deinceps, ubi de aëtiologia sermo erit, explanabimus, facultatem sese contrahendi et ad pristinum volumen redeundi, amiserint. Sin vero intestina adeo amplificentur, ut eorum sentiendi, motumque normalem perficiendi potestas insimul extinguatur, resolutio, sive intestinorum paralysis, orietur. Status hic quomodo dignoscatur, difficile est dictu; quandoquidem criteria maximopere incerta sunt;

ex frigoris in abdomine sensu, ex functione intestinorum laesa e. g. alvi segnitie aut diarhoea et aliis signis, paralysi propriis, diagnosis erit deducenda. Intestinorum dein angustiae et constrictiones, longe frequentissime ex affectionibus spasticis blandaeque inflammationis labe, oriundae, sensui obtruduntur, quas tamen omnes mutationes pathologicas, vel vix ac ne vix quidem, vel cum aliqua nonnisi probabilitatis specie, coniectari posse, evidentissimum est. Idem nobis confitendum videtur de indurationibus et scirrhis intestinorum, quas quoque inflammationis reliquias esse, novimus. Sunt tamen quaedam signa, pro certionibus passim habita; etenim ex ciborum, validioris praecipue generis, regurgitatione, prout intra tres quatuorve horas sursum feruntur, doloribus colicis, tunc temporis exardescentibus, obstructione diarrhoeam excipiente, corporis macie, de huiusmodi vitio certiores nos reddi, propositum est.

Abit quoque Ileus inflammatione stipatus in exsudationem lymphaticam, filamentosam, qua intestinorum parietes inter se, e parte saltem, concrescant; in suppurationem, cuius praesentiam ex signis suppurationi intus natae, peculiaribus, faecumque excretarum conditione augurabimur. Intestinorum perforationes, ulceratione inductae, dum materia modo chymica, modo stercoracea

per factam intestini aperturam in abdominis cavum effunditur, lethum plerumque afferunt. Intestina quoque dilacerari posse, Hildanus 1) refert. Exitum in gangraenam, periculi plenissimam, procul dubio aegrotis multoties supervenientem videmus; constat enim ex medicorum observationibus, inflammatas intestini partes insigni propensitate pollere, in gangraenam abeundi. Et mihi aliquando ante tres, et quod excurrit, abhinc annos bis opportunitas contigit, instituta Ileo defunctorum sectione, gangraenae signis omnis fallaciae expertibus, per anum excretam et sanitatem de integro restitutam esse, quia ullum inde vitae detrimentum aegri postmodum paterentur. Hinc patet, gangraenae signa, licet exquisita, fallere nos subinde posse, dum mortem praenunciamus certam, mirantes inopinatam redire videmus sanitatem; et vice versa, dum ex signis, boni laetique exitus spem mentientibus, sanitatem vel convalescentiam futuram praedicamus, derepente aeger e medio tollitur. Interdum vomitus cessat, tormina ventris sedantur, abdomen valde tumidum prorsus subsidit, flatuum explosiones foetidae et cadaverosae emittuntur, alvus sponte redditur nec multo post aegri, viribus vitalibus destituti, diem obeunt supremum, gangraena inductum.

---

1) Observat. chirurgis. 61. cent. I.

## Ilei causae.

Antequam differentias Ilei et singularum specierum criteria proferamus, ordini haud incongruum duximus, potentias recensere, quas generando Ileo pares esse, autores proposuerunt.

Quemadmodum causae omnium omnino morborum in proximam et remotas diducuntur, sic in Ileo eandem divisionem retinendam esse arbitramur. Quod ad causam Ilei proximam attinet, in antiperistaltico intestinorum motu, ex irritatione profecto, ponendam esse censemus. Prisca aetas, ut contenta intestinorum sursum deferrentur, facultatem expulsoriam occultae indolis agnovit, quae tamen facultas nihil aliud esse videtur, nisi peculiaris nervorum dispositio adhuc nominanda. Haguenotus 1) huic sententiae plane adversatus est, quippe qui, experimentis observationibusque suffultus, demonstrare conabatur, contentorum ex intestinis ad ventriculum regressum non motu antiperistaltico, sed sui pondere ac mole secundum leges hydraulicas, nec non musculis abdominalibus aliisque adminiculis perfici; simulque, cum ipsi non contingeret, ut motum dictum reseratis brutis cerneret, persuasum habuit, in Ileo motum antiperstalticum nec adesse, nec unquam ad retropellandas materias trans obicem quidpiam conferre. Hanc sententiam

1) Quaest. an vomit. faec. etc. Monsp. 1715.

pluribus refutare, operae pretium non facimus, cum ab omnibus celeb. Physiologis experimentis millies iteratis in liquido positum sit, re vera motum antiperistalticum, tam in intestinis brutorum mactatorum, quam in vivorum sectionibus observatum, dari; imo Wepferus 1) motum hunc in vivo homine aliquando conspexit.

Si quaeras, quaenam causa sit motus antiperistaltici, perpensis probe omnibus, respondendum nobis videtur: esse alienatam nervorum abdominalium, intestina adeuntium, dispositionem, ex irritante quacunque causa natam, qua efficitur, ut actio intestinorum non, quemadmodum adaucto motu peristaltico esse solet, inferiora versus, sed sursum, in contrariam partem dirigatur.

Disputatum est, num ad Ileum inducendum spasmus, quo pars intestini affecta prorsus claudatur, absolute sit necessarius? Plurimi 2) persuasum habent, eum nunquam non praesto esse ad intestinum perfecte occludendum Ileumque procreandum. Nonnulli aliter sentiunt, proponentes, intestinorum angustiam nunquam deficere. Sed neutrum eorum effatorum constans et perpetuum esse videtur; si enim priorem sententiam amplimur, experientias Galeni, Paraei, R. de Graafii,

1) Tract. de cicut. aquat. c. XXIV.

2) Richter specielle Therapie B. 4. S. 212.

aliorumque virorum, oblivioni nondum traditorum de clysteribus et suppositoriis per os reiectis in dubium vocemus necesse foret, quod nunquam fieri potest. Praeterea nobis argumento sunt intestinorum obstructiones, quibus sine dubio intestina amplificantur; porro Ileus ex vomitorio quodam nimis largo ortus non angustiam, non spasmum, sed intra primos morbi dies solummodo irritationem concitat. Etiamsi largiamur, affectiones spasticas in plerisque casibus Ileum comitari, easque solas, praesente alienata nervorum temperie, eum inducere posse; animo tamen concipere nequimus, quomodo Ileus, ano impervio, primae formationis vitio infantum nuper natorum, exortus, spasmo sit productus! num spasmis hic opus est, ut generetur? Sola certe obstructio et collectio materiarum faeculentarum sufficiet ad motum intestinorum inversum eliciendum. Intestina, semel ad motum antiperistalticum opportuna, nulla interveniente obstructione, nulla spastica constrictione, semper eo tendere censemus, ut, collecta sat magna stimulorum copia, sua sponte assessiones resuscitent. Fieri tamen potuit, ut canalis intestinalis non totus antiperistaltici motus particeps redderetur, sed nervorum incitatio ab obice, si quis, quod plerumque tamen evenit, deprehenditur, ad superiorem intestinalis tubi partem nonnisi transplantaretur. Explicari

inde potest, cur subinde, vel sponte, vel artis beneficio, clysteribus scilicet, imo inter vomitum, alvina eliciatur excretio; et profecto non improbabile videtur, partem intestini, infra obicem collocatam, vel motu peristaltico adhuc gaudere, vel vim vitalem amisisse et debilitatam, imo resolutam esse.

Veruntamen nostra de causa Ilei proxima sententia claudicare paulisper videbitur, si quis obiiciat, qui fieri possit, ut cibi, potus, medicaminaque per plures quandoque horas ventriculo immorentur, duodenumque et ultra transmigrent, quin intra hoc tempus vomitus proritetur; qui fieri porro queat, ut dolores infestissimi neque ab inflammatione neque a spasmis deducantur, cum ante dixeris, et inflammationem et spasmum nonnunquam abesse. Verum omnino est, his obiectionibus, primo quidem obtuitu, vim valoremque inesse videri, nostram infirmandi sententiam de causa Ilei proxima; cum ex ante propositis necessario sequatur, potus etc., quamprimum ingerantur, momento post foras reiici debere; verum enim vero, ut repugnantiae species aufugiat et conspiratio luce clarior appareat, monendum nobis est, nervorum vim, qua opus est, ut novus excitetur insultus vomitionis, aliquantisper exhauriri, stimulisque novis indigere, quibus, cum sufficiant ad motum antiperstalticum edendum, ea-

dem scena reiteratur. Inde dilucidari potest, quamobrem, instituta venae sectione, vomitus, dolores, aliaque dira symptomata per plures horas desinant cum nervi recentibus stimulis imbuantur, quaecunque demum causa Ileo fuerit. Animadvertimus etiam, quo plus fluidorum aegri assumant, eo frequentius vomitum redire. Non autem Chirac 1) suffragari possumus, qui, intestina, ubi penitus sint inania, consistere immobilia, additis vero et collectis materiis, intestina obicemque irritantibus, rursus vomitum insequi, docuit. Huic opponi potest, aegros, silente vomitu, ciborum aliquid capere, deglutire, fluidorum aliquantum sorbillare, eaque omnia ultra ventriculum pervenire; quod fieri non posset, deficiente motu peristaltico. Hinc patet, intestina nunquam quiescere, nunquam moveri desinere, sed continuo, nisi paralysis adveniet exquisita, motum exhibere.

Quaeritur nunc, doloresne vehementes citra spasmos inflammationemque prodire queant? Quemadmodum motum peristalticum adauctum spasmi incendiaque non excipiant necesse est, sic motus intestinorum inversus non semper dictas pro causis agnoscit iniurias. Convertamur ergo ad intestinorum irritationem et, quiqunque apud se reputaverit, quanta sit intestinis incitabilitas, fa-

1) Tract. de Ileo. sect. I.

cile perspiciet probabileque autumabit, qua ratione dolores motusque antiperistalticus alatur. Existunt praeterea dolorum vehementissimorum species, in quibus neque spasmus neque inflammatio semper culpanda esse videtur; his annumerari possunt syphiliticorum dolores osteocopi 1) rarioris tamen generis, quorum interdum nullam, secto post mortem corpore, causam materialem i. e. inflammationem eiusque exitus, esse repertam constat; de ossium enim spasmo nemo, quod equidem credo, cogitabit. Hystericarum clavum certissime non semper a spasmo, neque ab inflammatione derivari convenit, sed a peculiari irritatione; idem de pluribus aliis dici potest. Quo tandem modo mentis dolores tam acerbi de iactura dilectae alicuius rei, dignitatum, bonorum divitiarum etc. interpretandi? an aliunde, quam ex irritatione profluunt?

Recensendae nunc veniunt causae remotae, quarum recta veraque peccandi ratio permultis adhuc premitur dubiis. Iam obiter in exponenda causa Ilei proxima nonnullas tetigimus, nihilominus tamen ordinis servandi gratia iterum adducantur in medium necesse est. In universum iudicari potest, quidquid motum intestinorum antiperistalticum promoveat, quidquid intestina irritet, coarctet, angustet, faventibus conditionibus, Ileum pa-

1) Blumenbach instit. phys. Gött. 1810 S. 182.

rere posse. Iniurias omnes, quas intestina offendere ex pathologia scimus, consideranti, primo difficillimum erit, ordinem congruum in iis enumerandis servare. Causis dynamicis exordiar. Ante omnia scire oportet, rarissime unam, sed plerumque, ut Ileus prodeat, plures causas conspirare; sic exc. gr. vitium fabricae, irritatio, inflammatio una Ileum perficiunt.

Vomitus violentissimus, et symphaticus et idiopathicus propter irritationem intestinorum Ileum gignit. Deinde, spasmos intestinorum non solum idiopathicos, verum etiam per consensum excitatos, in organis longe dissitis e. g. cerebro, Ileum inducere, Willisii 1) Hoffmanni 2) aliorumque experientia edocemur; contrahuntur intestinorum parietes simulque appropinquantur, sic ut exinde dispositio nervorum praeternaturalis oriatur. Inflammationes intestinorum, licet saepe sint Ilei effectus, pro causa tamen merito haberi oportet, siquidem, inflammatis intestinis, summa fit irritatio et, cum fluida rarescunt, obstructio. Contingunt in universum inflammationes et affectiones spasticae tam frequentes, ut inseparabiles Ilei pedissequos credas. Enumeratae causae proficis-

---

1) Pathol. cereb. c. VIII.

2) Med. rat. system. T. IV. p. 2. sect. 2. c. IV.

cuntur non raro ex metastasibus, refrigeratione, sordibus gastricis, vulneribus, venenis etc. Ruyschius inter Ilei causas intestinorum paralysin (partialem) refert.

Quod ad vitia fabricae, quae Ileum cient, pertinet, stricturae et indurationes intestinorum quorum Walther 1), Pezold 2), Thomann 3), aliique mentionem fecerunt, accusantur; his enim causis intestina irritantur, liberior excrementorum descensus prohibetur, oblataque opportunitate, Ileus facile gignitur; licet a multis celeb. medicis post mortem angustiae intestinorum insignes repertae sint, quin difficultates ullae vivis perciperentur. Neque minus scirrhi, varices, aneurismata, hydatides Scott 4), intestinorum Ileum induxerunt. Omnes modo relatae iniuriae irritando, liberum contentorum transitum turbando et denique obstruendo nocent. Est etiam infantibus partu nuper editis vitium quoddam congenitum, anus clausus et intestinum impervium, quod, nisi detegatur, vel detecto non aptum praeste-

1) De intestinor. angust. Leipz. 1731.

2) Von Verhärtungen und Verengerungen des Magenmundes Dresd. 1787.

3) Horns Archiv. f. d. med. Erfahrung. Bd. 7. Hft. 1. S. 10.

4) In d. med. comm. v. Edinb. B. 5. S. 196.

tur auxilium, in Ileum lethalem transit (Cervence 1.) Idem exitus teter observabatur, ubi intestina inter se concreverant (Huxham) 2). Et ossificationes intestinorum post obitum quandoque observatae sunt (Sponitzer) 3).

Inter causas, quae intestina infarciunt, poni meretur faecum nimis longa remora, earumque in intestinis induratio; ex nimia scilicet faecum accumulatione intestina premuntur, dilatantur, irritantur. Haecce obstructio praecipue in colo observatur (White) 4). Et flatuum in intestinis, mediantibus spasmis, incarceratio Ileum induxit.

Haud raro corpora aliena, incaute vel temere deglutita, vel intus sponte nata, occasionem Ileo praebent, praecipue si quo in loco resistentiam inveniunt, sic ut ultra propelli non possint, sed intestinis immobilia inhaereant; quo fiat necesse est, ut intestina sollicitentur, spasmi, multo frequentius vero inflammationes procreentur. Huc referas: nucleos cerasorum, prunorum, aliorumque id generis fructuum, in acervum congestorum, nummos, acus, piscium spinas, ubi locum sibi

---

1) In Hufelands Annalen d. franz. Heilkunde B. 3. St. 2.

2) In Leskes Auszug i. d. phil. Transact. B. 2. S. 120.

3) In Schmuckers vermischten Schriften B. 1. S. 325.

4) Cases in Surgery with remarks. London 1760

transversum elegerint (Virand) 1). Deinde vermes, et taeniae et lumbrici, in glomerulos convoluti, huc spectant (Lieuteaudius 2). Et Meckelius 3) ac Gaistkell 4) Ileo denatis calculos in intestinis aggestos invenerunt. Causis, intestina obturantibus hactenus memoriae mandatis, restat, ut memoratis vitium omnium miratu dignissimum, veteribus aeque notum, adiungamus, volvulum.

Placuit enim priscis medicis, ob implicationem, quam saepe se observasse tradunt, intestinorum, hac denominatione Ileum nostrum insignire eamque pro vera habere. Est tamen monendum, plures autores volvulum, sive convolutionem cum intra intussusceptione, iuvaginatione, indigitatione, veluti synonymis, confudisse. Volvulus enim sive convolutio oritur, ubi post invaginationem simul intestini complicantur et quasi contorquentur, sic ut manuum praesidio vix aut nullatenus post mortem resolvi possint, nisi exsecentur, nulla tamen mediante exsudatione lymphatica et concretione, quod facile in cadaveribus

1) Journ. de med. T. 50—51—52—53.

2) Histoir. anat. med. T. 1. p 75.

3) Histoir d'acad. roj. de science bell. let. d. Berlin 1759. p. 35.

4) Ueber d. Steine im mensch. Körp. in d. Samml. für prkt. Aerzte. B, 16. S. 135.

commonstrari potest. Fieri igitur potest, ut, priusquam Ilei symptomata ingruant, intussusceptio praecedat volvulusque insequatur; vel ut status alteruter existat Ileumque inducat. Enarratum legimus exemplum 1) quo ex aberratione intestitinorum et convolutione mutua constrictio nata apparuit, qui casus tamen nullatenus aequiparandus est convolutioni ex invaginatione ortae.

Hallerus 2) tamen cum tam in homine quam in brutis viderit intussusceptiones sine inflammatione, per emissum flatum facile solutas, hac ex causa Ileum minime oriri existimat; nimis enim, inquit, mobile et sponte solubile malum est, sique grave foret, vim suam inflammatione et ciborum ad eam partem intestini collectione declararet, quae intus suscipitur. Et Morgagnius 3) in eandem sententiam concedere videtur, largiens tamen: si magna sit invaginatio, nasci posse Ileum. Miro hoc ill. Physiologorum dissensu, num intusseptio. Ileum producere valeat, permovemur, ut, confisi multis omnium saeculorum autoribus, sententiae posteriori adstipulemur. Quaeritur nunc, quomodo fiat intussusceptio, et quaenam sint eius rationes. Plurimi consentire videntur, cum tubi

---

1) Richter's chirurg. Bibliothek. B. 3. S. 585.
2) Opusc. pathol. XXVII.
3) Epist. XXXIV. n. 35.

intestinalis pars ex aliqua causa morbifica, in proximam impulsa, ab ea recipitur, eamque veluti vaginam sibi eligit, intussusceptionem nasci; qui quidem actus ut perficiatur, partem, quam altera amplior exceptura, vaginamque formatura est, angustatam contractamve esse debere perhibent; contra eam, quae alteram angutatam in se receptura est, dilatatam esse. Sed plures observationes docuerunt, non semper praeternaturalem intestinorum conformationem, ut mutua immissio fiat, requiri. Status immissionis duplex esse potest: vel inferior intestini portio superiori inservit vaginae, vel vice versa; porro completa et incompleta immissio discernitur; verumtamen omnes, quae supersunt, de mutuo intestinorum ingressu mutationes, heic loci recenseri non possunt. Contingunt tam in tenuioribus quam in crassis intestinis, numeroque variant; etenim simplices, duplices (Blasius) 1), triplices (Peyerus) 2), quadruplices et quintuplices (Ruyschius) 3), imo septuplices 4) in uno eodemque cadavere reperiebantur.

---

1) Observ. med. p. 3.

2) Tract. de gland. intest. Ex. 1. c. IX.

3) Thesaus. anat. X. n. 62.

4) In ephem. nat. curios. d. 2. a. VIII.

Si intussusceptio et convolutiones non sponte vel flatuum impulsu, uti Hallerus opinatur, vel artis praesidio resolvuntur, aut certas ob causas submoveri nequeunt, contenta ante eas congeruntur, quae obstruendo, premendo, irritando vim inferunt; sin vero hac re sive alio, nescio quo, fato vomitus ingruit, Ileus certo orietur.

Ad iniurias, peripheriam externam intestinorum lacessentes omnia herniarum in abdomine obvenientium, genera referenda sunt. Praeter plagas communes, in quibus hernias animadverti non ignoramus, per rimam quoque mesenterii, diaphragmatis (Bonnet) 1) aliorumque locorum intestina esse protrusa, observata docuerunt. Oritur hic plerumque Ileus, cum intestina in aliena spatia prolabuntur ibique aliqua causa strangulantur. Ceterum in omnibus abdominis regionibus incarceratio, eoque facilius, quo recentior descensus intestinorum est, evenire solet. Saepe in parte delapsa coacervantur contenta, indurescunt; accedit non raro spasmus, inflammatio etc. Pars etiam, quae circumdat intestinum protrusum, spasmo corripi potest; sic aliquando herniotomiam, qua externa quidem incarceratio auferebatur, in-

---

1) Journ. d. med. Vol. IX. p. 518.

terna vero remanebat, Ileo lethali exceptam observavi.

Lustratum quoque est in cadaveribus Ileo demortuis, processum vermiformem, qui undequaque coeci initium ope ligamentorum, vita superstite iamiam formatorum, firmiter adligaverat, idem constrinxisse (Morteau) 1) (Kloeckhoff) 2). Tumores mesenterii aliarumque partium, intestinis vicinarum, eaque uspiam prementium, Ileum genuisse, enarratur (Bonnet) 3).

## Ilei differentiae et diagnosis breviter exposita.

Ad certam diagnosin stabiliendam primo ad palmaria Ilei symptomata respici oportet. Nos quidem non fugit, naturam humanam in operationibus perficiendis a norma saepe deflectere, neque semper eandem morbi effigiem proferre, licet causae eaedem fuerint; attamen saepius eius cursu, viis, legibus, secundum quas omnia gubernat et regit, consideratis, non arduum erit solertius perscrutanti, abdita eius vestigia indagare.

---

1) Journ. de med. 1790.

2) i. d. Harlem. Tom. XII.

3) Sepulchret. s. anat. pract. T. III. obs. 22.

Cum omnia symptomata palmaria, quae Ileum comitari ex superioribus iam novimus, vomitus videlicet, obstructio, dolores ventris simul exstant, Ileum confirmatum, legitimum, perfectum dicimus; sin vero tenuiores spissioresve contentorum particulae per anum eliminantur, Ileus audit imperfectus, illegitimus. Grave videtur istud discrimen, siquidem exinde, quod, quiescente vomitu, ideoque etiam motu antiperistaltico, alvus aliquid reddit, concludere licet, canalem obice non prorsus esse clausum. Ab altera vero parte huic rei, fallaci subinde signo, non nimis est confidendum; cum retentae iam pridem collectaeque infra obicem faecum particulae ssse possint. Aliquid tamen lucis super hanc rem diffundetur, si in faecum indolem rite inquisiveris; etenim materia nigra, concisa et veluti tosta, medico indicabit, vetusta infra obicem futura esse excrementa. Sin vero excrementa a superioribus proficiscuntur, maior in iis bilis mucique intestinalis copia continebitur, quibus bene cognitis, medicum, unde haec veniant, non amplius deliberaturum esse credo.

## Ileus ab irritatione intestinornm.

Huc referas statum, ubi neque inflammatio neque spasmus obvenit. Vomitus enim violentis-

simus, sit ve eius causa idiopathica sit ve sympathica, Ileum hunc ciere potest; namque, intestinorum morbosa impressione semel concitata, ut antea iam dictum est, dosi e. g. vomitorii nimis validi porrecta, motus inversus perseverabit, licet omne foras sit reiectum, nec quidquam adsit, quod amplius stimulum vomitionis alere possit. Hanc irritationem producunt etiam scirrhi, aliaque vitia fabricae; intussusceptiones; anus impervius vermes etc. Cognoscitur hic status ex dolore minus vehemente, ex remissione aliquot dies protracta et ex eo, quod initium uniuscuiusque fere Ilei speciei in hac irritatione positum est.

## Ileus a Spasmo.

Spasmi vel soli intestina occupant, vel vitiis superveniunt structurae; et tam ex loco, quem tenent, quam ex signis generalioribus, iis propriis internoscuntur; dolores saepe vagi, constringentes, affectiones spasticae partium vicinarum e. g. vesicae urinariae, intestini recti, obstructio pertinax febris absentia, pulsus contractus, duriusculus spasmorum praesentiam manifestabunt.

## Ileus inflammatorius s. cum enteritide coniunctus.

Frequentissimum omnium et teterrimum,

quod non raro per aliquod tempus praeludia irritationis et affectionis spasticae antecedunt, malum est Ileus inflammatorius. Nullam dari intestinorum affectionem credo, quae in inflammationem non transire possit, praecipue incarceratae intestinorum partes; convolutiones post intussusceptiones ortae; metastases ad intestina conversae; vomitus violentissimus a quibusdam venenis non expugnabilis; corpora peregrina acuta intestinis illata, Ileum inflammatorium facillime efficiunt. Diagnosis repetenda erit ex symptomatibus iam enarratis.

## Ileus stercoraceus.

Evomuntur plerumque partes faecales, stercus, in crassis intestinis detentum, redolentes, quae si contingunt, concludere licet, vitium in crassis intestinis habitare. Ileus ergo ab obstructione faecali profectus cognoscitur ex aegrorum sermone, flatuum emissione frequente, borborygmis; dolores prementes, ructus, venter tumidus, praecordia inflata animadvertuntur; interdum etiam locus durus in aliqua abdominis regione observatur.

## Ileus a vermibus intestinalibus.

Quaerendum est ex aegroto, num antea iam vermes descenderint; deinde respiciendum ad cetera morbi verminosi symptomata.

## Ileus a lapidibus in intestino genitis.

Difficilis est cognitu; ex historia morbi forsan patebit, utrum in urina sedimentum arenosum repertum fuerit, et praecipue dispositio calculosa ex vitae genere ratiocinanda sit.

## Ileus a corporibus alienis,

Corporibus incaute vel consulto deglutitis, e dictis aegri adstantiumque desumenda erit diagnosis.

## Ileus ab intessusceptione et convolutione.

Praeter vulgaria signa durities alicubi in abdomine, sensusque chordae tensae in regione umbilicali et epigastrica animadvertetur.

## Ileus ab hernia incarcerata.

Herniae internae,cum incarcerantur, cognosci vix possunt; externas explorabimus tactu visuque.

## Ileus a vitiis intestinorum organicis.

Cum vitia haec fabricae multifariam habeant originem, eorum dignoscendorum gratia praecedentia examinanda sunt.

---

## CURRICULUM VITAE
### EX DECRETO GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS BEROLINENSIS ADIECTUM.

Ego Ioannes Christianus Fridericus Rauch, Spandaviae anno millesimo septingentesimo nonagesimo septimo natus, confessioni evangelicae addictus, per sex annos scholam, quae ibi floret, frequentavi. Decimo octavo aetatis anno expeditioni gallicae, chirurgi munere functus, interfui. Bello vero peracto, Berolinum petii ibidemque in numerum studiosorum academiae regiae medico-chirurgicae militaris receptus, per triennium fere ad utriusque medicinae studia incubui. Omissis publicis, quibus vacavi scholis, privatas tantum indicabo.

Logicen et Hodogeticen beat. Kiesewetter, chemiam, physicen et pharmaciam experimentalem cel. Turte; historiam naturalem et botanicen ill. Link me docuerunt. In osteologia et splanchnologia ill. Knape; in anatomia universali ill. Rudolphi; in physiologia ill. Rudolphi et gen. de Koenen praeceptores mihi fuere. In arte cadavera rite dissecandi ab ill. Knape et ill. Rudolphi institus sum. De materia medica cel. Osann; de arte fascias applicandi cel. Kluge et beat. Mursin-

na; de pathologia generali cel. Fr. Hufeland disserentes audivi.

Per quadriennium, ut meis obligationibus satisfacerem, in excercitu borussico militiam feci. Inde vero Berolinum redux, studiorum meorum curriculum assidua, quanta fieri potuit, solertia persecutus sum. Praelectiones, quas deinceps audiri mihi licuit, virorum illustrissimorum sunt.

Therapiam generalem tam, quam specialem cel. Fr. Hufeland mihi tradidit. In chirurgia generali, in doctrina de ossibus fractis luxatisque et in arte obstetricia cel. Kluge; in chirurgia speciali et operationum cursu ill. Graefe praeceptoribus gavisus sum.

Institutionibus clinicis tam chirurgicis quam medicis ill. Graefe ill. Neumann, ill. W. Hufeland et ill. Berends benevole me admiserunt.

Tentamine et examine rigoroso rite absolutis, post dissertationem hanc defensam, summos in medicina et chirurgia honores in me collocatum iri, spero.

## THESES DEFENDENDAE.

I.

Sanguinis colorem rubrum a ferro praecipue dependere, existimo.

II.

Abortiva specifica non dantur.

III.

Quodque contagium vivo corpore nonnisi gignitur.

IV.

Crusta inflammatoria, quae dicitur, non certa est inflammationis nota.